



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fvldensivm Antiquitatvm Libri III.**

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Capvt III. Primordia fundati conditique Monaterij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

## CAPVT III.

*Primordia fundati conditiq; monasterij.*

**I**N origine vestigandâ , primùm temporis habere rationem cupimus ; hanc ex S. Bonifacij actis cùm indagamus , inobseruabilis occurrit temporum quidam labyrinthus. S. Ludgerus in Gregorio certum facit , D. Bonifacium priusquam Thuringos & Hassos Româ reuersus serio excoleret ( nam adiuisse prius , nec ait , nec it inficias ) tredecim ipsos annos in Australi regione Frisiæ , iuxta lacum Almarum , trinis consedisse locis : septem apud Wyrdam in Rheni fluuij ripâ ; tribus in Hattin-ghemo iuxta amnem Fhetam ; totidem in Felisâ , propè à paganis . Hinc per Treueros adiuisse Orientales Francorum regiones , ad Hassos & Thuringos ; & mox animarum spoliis diuitem , Carolo Martello innotuisse , tricis haud exiguis ab æmulâ pseudodoctorum & adulatorum gente obiectis . Nec valde discors his S. Willibaldus , qui ex itinere Romano , Iustratis Boiariis , Thuringiam adiuisse scribit , sed morte Ratbodi compertâ , in Fresonum regionem reflexisse , quam olim Dorestato & Traiecto tenus , primo item suo ex Britannia aduentu perlustrarat . Quæ certè narratio , quantopere distet à vitâ S. Bonifacij vulgarâ , manifestum est ; quum triennium modò inter Frisicam commorationem , & in Thuringos aduentum interiicit . Quare , qui Surianam , id est , Othloni Fuldenfis monachi historiam sequuntur , S. Bonifacium ab anno vndeuigesimo in vigesimum quartum supra septingentesimum , aut paulò secus , ex Frisiâ in Thuringiam , & Caroli regis notitiam , educunt . Huius controuersie quidquid est ; nam auctoritas S. Ludgeri , & vitæ Bonifacianæ commentarius , causæ dictione inter se certabunt ; nos temporum epocham tenemus , minimè dubitabilem , freti maiorum litteris & publicis scriptorum monumentis . Decennio etenim prius , quàm martyrio diem finiit Bonifacius , Fuldæ domicilium posuit , monastice colendæ . Cuius quidem sententiæ fidem amplectuntur publici scriptores , & omnium Annalium littere , quæ annum signant conditi Fuldenfis

B

mona-

*S. Bonifacij in Thuringiam aduentus.*

*Almarum s. Willibaldo. Elmere, frigaum Frisia.*

*In vitâ S. Bonifacij c. 4. 5. 6. Antiqu. lect. Tom. 4.*

*Fuldense monasterium, quando conditum.*

*Rhegino, Marianus, MS Hercfeld. Fuld. Contractus.*

Broweri  
Antiquitate  
Fuldenfes.

STV  
9

monasterij, septingentesimum quadragesimum quartum ab ortu Christi. Palmam hîc præfert domesticus historicus, Rudolphus: *Monasterium constituit S. Bonifacius monachorum, anno ante passionem suam decimo; qui fuit ab incarnatione Dominicâ, quartus & quadragesimus & septingentesimus annus.* Quo nihil dici potuit rotundius. Passum enim, consensus est, anno D C C L V.

*S. Bonifacius  
quando pas-  
sus.*

in Iunio; quibus annis si decadem eximas, profus exsiliet numerus antea positus. Neque interest plurimum, biennio citius à Sigeberto, vel seriùs ab aliis, originem hanc litteris commendari; cum & Marianus temporibus his fundari cœptum, alij vetustiores libri inchoatum Fuldæ monasterium dumtaxat, vt de amplissimâ re & in maius exaugendâ, infinite loquantur. Sanè constituti stabilitique loci exordia, quadragesimus quartus supra septingentesimum annus occupat. Quibus autem occasionibus, & per quos tam nobilis disciplinæ famæque moles exsurgere, mediâ solitudine cœperit, dignum est vt iam exequar. Assidua aduersus finitimos Saxones hîc Franco, Francique clientibus Thuringis & Hassis, bellorum erant certamina: illis religionem & numina insitâ leuitate fallentibus, his ob Christianæ fidei non nimum iactas firmè radices, in obsequium haud promptissimè accinctis. Altissimæ itaque prouidentia duces, Carolomannus & Pipinus, victoriam in Christianâ pietate quàm armis sibi spondentes certiorein, existimabant populos tot annis aduersus Francorum imperium contumaces, in obsequio tunc demum sibi certò futuros, vbi priùs eos Christi iugo quàm imperio suo subiugassent. Nam principatum illum, egregiis nixum radicibus, & præclare stabilitum nouerant, quem Christi religio, & ab ipso inspirata vera pietas, fundasset. Huic sapientiæ facem prælucebat Bonifacius, qui excelsâ potestate, famaque virtutis Carolum parentem iam pridem ceperat, commendatione Gregorij Pontificis; Apostoli partes zelumque præclare hisce regionibus functus. Is, quâ religionis incremento, quâ superstitionum abolitione, iam longum in Thuringiâ Franciâque vicinâ, progressus erat. Et monasticen, quam in Angliâ, vnde ortus, à pueris in Ventanâ diœcesi coluerat, item in horridâ hac regione excultum ibat. Ergo gymnasium animo exstructum habebat, ex quo stans virtu-

*Caroloman-  
no & Pipino  
fundatori-  
bus, qua mē?*

*S. Bonifacij  
consilium in  
Fuld. monast.  
condendo.*

virtu-

virtutum auctibus, milites Christianos educeret; quorum operâ, & gentilitatis opes profligaret, & finitimam barbariem, asperitate morum edomitâ, ad sanctioris vitæ studium adduceret. Huc priusquam ex Britannia suppetias & auxilia posceret, primo itinere Româ, ut interpretor, rediens, per Boiariorum fines inde nimirum sobolem seposuit nobili gignendo monachorum armento. Huic prænituit inde beatus Sturmus; quem S. Bonifacius admodum adolescentem Noricâ prouinciâ, siue Boiariorum, ut vsus tunc habuit loquentium, Christianis & nobilibus ortum parentibus, in hæc primùm loca perduxit; & Fritilariæ in monasterij ludo, accuratè ab VVigberto erudiendum curauit. Porro VVigbertus Anglosaxo, clarâ item maiorum stirpe, laborum atque egregiorum operum se socium iam pridem Bonifacio iunxerat; illumque Bonifacius Frideflariensi monasterio Abbatem præfecit, quando ipse in Geuilebi locum, Moguntinam sedem Archiepiscopus obtinuit. Sic enim Lupus Seruatus in editâ nuper Moguntia S. VVieberti vitâ: *Neque multo post (Bonifacius) ad amplissimum pontificalis gradum dignitatis Moguntiaci diuinâ gratiâ prouectus, VVigbertum sacerdotem secundi ordinis, cœnobio suo, cui nomen est gentili Germanorum linguâ Friteflar, magistrum præfecit; uti monastice illic religionis normam statumque componeret.* Vbi nolim præteruolet, quòd VVigbertus, ut de Claudiano Viennensi scribit Sidonius,

*Antistes fuit ordine in secundo.*

Quid enim id aliud, quàm sub primi ordinis ductore Bonifacio, Cathedrali episcopo, Vicarium & Coepiscopum, seu Archidiaconum quemdam extitisse VVigbertum? cuiusmodi secundos, & secundi ordinis sacerdotes veteribus appellatos, rectè obseruauit Sidonij interpretes. At enim Bonifacium iniisse Moguntinam episcopem, quando celebrem illam, Carolomanni auspiciis, Germaniæ Synodum habuit, consensus auctorum est. Hac quippe Synodo Clemens & Adalbertus hæretici damnati, & Gewilibus cædis reus, Episcopatu habitus indignus. Huic autem Synodo, quando ob conuentuum & actorum varietatem satis hæc res implicata manet, Othlonus Fuldenfis & Lambertus Hersfeldius, ambo non ob

B. Sturmus  
S. Bonifacio  
educatur.

Frideflarie,  
aut Fritilari,  
monasteriū.  
Vite S. Wigberti c. 23. 4.  
s. v. seq.

Surian. edit.  
Gevuilionis.

Cap. 5.

Ioan. Sauro  
ad lib. v. epi-  
stolâ xi.

Othlonus  
lib. 1. vitæ  
Lambert.

Chron. Ad  
tamen Ni-  
col. Serar.

Magunt. rer.  
lib. 1. à notat.  
31. & seq. in  
vitâ S. Boni-  
facij.

Synodus ma-  
gna German.

S. Bonifacii  
epistol. lib.  
epist. 78. sub-  
icitur frag-  
mentū Con-  
cilij Carolo-  
mannici, an-  
no 742. vn-  
decimo Ka-  
lend. Maij  
habiti.

Friteflariense  
Seminarium.

Herolfesfel-  
dia, & Herf-  
feldensis Ab-  
batia origo.

Friteflariense  
monachi  
Germania  
Apostoli.  
Baron. Tom.  
9. in an. 724.  
& in editis  
nuper Mo-  
gunt. ep. 14.  
Actione &  
Theoria am-  
bidextri.  
De auport-  
podsiois vel  
ambidextris  
Cassian col-  
lat. vi. cap. x.  
Hilaie cap. 18.

Fulda Sedes  
conuersionis  
gentium. &  
quies S. Bo-  
nifacii.

Buchonia fi-  
nitimi populi  
à S. Bonifacio  
conuersi vel  
instituti.

seuri scriptores, probabilius dant quadragesimum secundum annum supra septingentesimum, quàm alij quadragesimum quartum, meo quidem sensu: hoc etenim Carolomannus, voti damnatus, & pœnitentiam regni confessus, abdicationem sæculi & Imperij meditabatur, vt Regino, Contractus, & egregij manuscripti, annotarunt. Eaque re, qui in posteros annos hæc producunt acta, haud scio, quàm pro temporum calculis aptè & conuenienter ea distribuunt. Porrò, vt ad Wigbertum & Friteflariensem monasticen reuertar, apparet quidem, ipsis aditæ Thuringiæ & Saxonix primordiis, Bonifacium istic habuisse pietatis & vitæ seuerioris officinam. Nam, vti litteræ domesticæ tradunt, primi inde excursus in Herolfesfeldiam à Sturmio sociisque facti: qui prænobili Abbatix Hersfeldicensi prius originem quoque dedit, quàm Bonifacii iussu Fuldæ recessus attentasset. Itaque nemo negauerit, à primâ Thuringorum & Hassorum conuersione, Bonifacium Friteflariæ discipulos habuisse, eosque ambidextros, qui dum ipse, vt quâdam in epistolâ ad Eadburgam Abbatissam de se loquitur, *exsul Germanicus tenebrosos Germanicarum gentium lustrat angulos*, geminis velut additis alarum talaribus, iam manus porrigerent auxiliares in errorum freto miserè fluctuantibus; iam ipsi solitudinis adminiculo refugi, mentem caelestibus, quibus insueti, denuò redderent: Angeli verè veloces, qui

— pedibus talaria vincti

*Aurea, sublimes alis, siue æquora supra,  
Seu calum rapido pariter cum flamine currunt.*

Quod institutum vitæ tenuisse S. Bonifacium iuxtà ac eius discipulos, ex iis quæ loco suo de B. Sturmione litteris mandabimus, manifestum fiet. Nec ipse quidem filuit Bonifacius in epistolâ ad Zachariam, vbi Fuldam sibi lectam, tamquam speculam, ait, & arcem religionis propagandæ. *Hunc enim locum per viros religiosos & Deum timentes, maximè Carolomannum principem Francorum, iusto se acquisisse labore, & in honore S. Saluatoris dedicasse. Quo in loco Zachariæ consensu, proposuisse aliquantulum, vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, & post mortem iacere. Quatuor enim populos, quibus Verbum Christi annuntiarit, hîc circum habitare: puta Francos, Thuringos, Saxo-*  
nes,

nes, & Hassos. Porrò initium Hersfeldensis monasterij, probæ notæ scriptores, atque ipse Lambertus, ad annum reuocant DCXXXVI. quo tempore Sturmio, iam maturus virtute Fritellariam egressus, quæ in Septentrione Thrafciam versus milibus triginta circiter abest Herolfesfeldiâ, vastam hanc eremum, & paganorum deserta, pugil inuictus laceflebat. Hinc tandem Bonifacij iussu in Italiam profectus, disciplinam Cassinensium hausit, quorum institutis expolitus, inde in hoc Fuldenfi saltu, plenum virtutis opus aggressus est. Meminit horum ita Rudolphus: *Videns vir beatissimus Bonifacius, ecclesiam Dei crescere, & certantibus studiis, ad vota perfectionis accendi: duplicem viam ad profectum religionis instituens, monasteria construere cepit; vt ad fidem Catholicam populi non tam ecclesiasticâ gratiâ, quàm monachorum & virginum congregationibus, raperentur.* Habent ergo nostri Germani consilij rationem, quam totius gentis Apostolus secutus est, in monasteriorum cõditione: & adhuc obrudi sibi patientur, monasteriorum nõ alium antiquitus Germaniam vsu sciuisse, quàm puerilis etatis in liberalibus disciplinis institutionem? Pergit verò Rudolphus: *Volens ergo vtriusque professionis ordinem regulariter obseruari, idoneum vtrique magistrum studuit adipisci; misitque in Cassinum montem Sturmin discipulum suum, virum genere & moribus nobilem, vt in monasterio, quod B. Pater Benedictus instituit, disciplinam regularem, & vitam moresque monasticos agnosceret, pastorque futurus, discipulus fieret: atque in sua subiectione disceret, quomodo alius præesse deberet.* Addit hinc, pari studio, ab vltimâ exciuisse Britannîâ Liobam, aliasque præclaris dotibus & mirificâ sanctitate virgines; quas sanctimonialium cœtui præficeret. Non dissimulauit item, parens instituti Bonifacius, prisce disciplinæ seueritatem: quo, Deus bone, viuendi rigore, si sæculi nostri mores huic speculo opponimus? Nam ad Zachariam scribens, in hac vastissimâ solitudine, mediõque nationum, quas Euangelij luce collustraret, monasterium construere, monachosque constituere, ait, sibi decretum sub regulâ S. Patris Benedicti viuentes; viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino; absque sicerâ & seruis; proprio manuum suarum labore contentos. Quibus ex rebus planum fit, ex antè præparato, Bonifacium inchoasse monasterij Fuldenfis

*B. Sturmio ad Cassinense monasterium mittitur in Italiam.*

*Sur. 28. Septemb. c. 10. vitæ S. Liobæ.*

*Monasteria antiqua, arces quadam religionis propagandæ potius, quàm ludi.*

*S. Lioba vel Liobgutha sanctimonialium in Buchoniâ princeps.*

*Monastica Bonifaciana rigor.*

Bravzeri  
Antiquitate  
Fuldenses.

STV  
9

exordia: & Sturmin non contentus erudiisse in Frideflariensis cœnobij contubernio, ipsos voluit monasticæ & lustrare & degustare fontes. Id quod tamen historia vitæ vulgata, anno constituti monasterij quarto accidisse tradit; id est, quadragesimo octavo sæculi septimi à Christo nascente. Suspicio me quoque sollicitat, epistolam illam, quam Cardinalis Baronius ad annum D C C X I X. ex manuscriptis adtexit ceu à S. Bonifacio ad monachos, quos in Angliâ reliquerat, datam; potius esse missam ad congregationem Frideflariensem ab ipso nuper institutam: quandoquidem præter Wigbertum, & ibi Sturmionis & Meginonis mentio fit. \* Meginonem verò socium B. Wigberti, agnoscunt vitæ monumenta: sicut in clericis S. Bonifacij numerantur, qui incundum cum Adelberto hæretico de religione certamen in Germaniâ, dissuadebant, Lullus, Meginozus, Sturmio.

Epist. 17. inter editas.

Frideflariensis cœtus viri illustres. Meginozus, & Meginozus idē. \* Megino Vita lib. c. 5.

## CAPVT IV.

*Monasterij locus & regio ex fundatione monstrata.*

ATQVE hæc sunt antecessæ monasterij Fuldensis incunabula rerum occasiones. Consummando negotio auctores extitère Carolomannus princeps, idem Pipini frater, Martelli filius, & magni Caroli patruus; nec non Zacharias Pontifex origine Græcus, vir, vt Anastasius ait, *mitissimus atque suavis, omniq. bonitate ornatus*. Carolomannum Bonifacius non Christianæ modò vitæ præceptis imbuerat, sed philosophari iam tum quoque docuerat; vnde ad omnia inchoatę religionis opera non promptum magis quàm sibi obnoxium expertus, monasticæ rei patronum excellentem habuit. Hinc media inter arma, bellorumq.ue motus, plus scilicet in seruorum Dei precibus, quàm militum suorum dextris, ponebat ille præsidij. Iam verò Carolomanno, per Thuringos & Orientales Francos, ob motus Saxonicos, non infrequens iter erat, vt ex facili, roganti Bonifacio locū & sedes apud Fuldam concederet. Fecit itaque, vt in Grabfeldensi pago fundum & possessiones, cum agrorum mensurâ, certisq. terminis liberaliter attribueret, eâ propè dona-

In Pontif. actis. Carolomannus à S. Bonifacio institutus.

Othlonus, & Sur. lib. I. vitæ Bonifacij c. 36. Religione quàm armis fortior.

Fuldensem fundum consecrat.